

et hypothesim qua Capitulo caret. In prima hypothesi decernit, ut Vicarius Capitularis eligatur a Capitulo, etiam cum interventu aliarum personarum ecclesiasticarum quas constat semper in tali negotio electionis suffragium dedisse.

45. Si autem Capitulum non existat, statuit Pontifex, ut parochi sive soli, sive cum aliis ecclesiasticis viris, juxta modum, usum et consuetudinem de præterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem faciendam accedant, servatis constitutionibus Concilii Tridentini, præsertim *sessionis 24. cap. 16. de Ref.* In iis autem locis in quibus Antistites neque Capitulum habent, neque Parochos, sed dumtaxat sacerdotes missionarios per terras et oppida dispersos, qui simul convenire minime valeant; in hoc casu decernit Pontifex ut Vicarius generalis defuncti Episcopi ipso facto sit et habeatur ut Vicarius Capitularis.

46. Tandem animadverti debet, in Abbatibus Nullius, quæ Cathedralium non habent, sed quarum jurisdictio concessa est Abbati, nec adveniente vacatione devolvitur ad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ illius, locum non esse electioni Vicarii Capitularis, et totam jurisditionem devolvi ad S. Sedem, quæ tempore vacationis deputat Vicarium Apostolicum. Ita docuit s. Congr. EE. et RR. in Guastallen. diei 11. Sept. 1792. *Bizzarri Collectanea pag. 44.*

47. Porro electio Vicarii a Capitulo facienda est intra octo dies a morte Episcopi. Ita Tridentinum in cit. loco *sess. 24. c. 16. de Ref.* Quamvis vero Concilium de sola vacatione Sedis per mortem Episcopi meminerit, tamen in praxi approbata a S. Sede receptum est ut Tridentina dispositio servanda sit etiam quando episcopalis Sedes vacat aliis modis, nempe per renunciationem, translationem vel depositionem Episcopi. Item receptum est ut tempus utile octo dierum incipiat decurrere a die habitæ notitiæ vacationis. Hinc electio facta ante verosimilem notitiam vacationis Ecclesiæ est nulla, licet Capitulum esset certum de imminente morte vel translatione Episcopi. Et quidem quoad casum translationis regulam tradit s. Congr. EE. et RR. (*Card. Bizzarri in Collectanea pag. 662.*) Siquidem in *Neritonen. 24. Maji 1652.* hæc habentur: 'S. C. EE. et RR. Sanctissimo Domino Nostro approbante, censuit Ecclesiam, a qua volens transfertur, seu quam amittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio Sanctitatis suæ; etiam ante ex-

peditionem Litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ. Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam ex testimonio, seu documento secretarii sacri Collegii, illico teneri eum abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum sede vacante, et ita posse et debere Capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare'. — Quid vero si Episcopus ab hostibus capiatur, vel a Diocesi exulare cogatur? De hac quæstione egimus superius in Tit. De supplenda neglig. Prælatorum. — Tandem animadvertimus, non posse Capitulum eligere Vicarium Capitularem in casu quo Episcopus sit excommunicatus, vel suspensus, vel etiam in casu quo, Episcopo in remotis agente, ejus Vicarius generalis moriatur; sed recurrendum esse ad S. Sedem. Ita Doctores citati a Card. *Bizzarri in sua Collectanea s. C. EE. et RR.* edita Romæ an. 1863. *pag. 663.*

48. Quæritur 1º. an Capitulum in commissione jurisdictionis possit aliquam partem vel aliquem actum ejusdem sibi reservare. Primis post Concilium Tridentinum temporibus inter Doctores controvertebatur, et ipsa s. C. C. visa est inclinare in affirmativam sententiam. Nam die 18. Nov. 1651. respondit, jus renunciandi magis idoneum ad assequendam Parœciam ex concursu, esse Capituli et non ejus Vicarii, quia hoc jus sibi Capitulum reservaverat in commissione perficienda. At inde sententia opposita prævaluit, et iterum discussa quæstione, etiam sub generali conceptu, an scilicet possit a Capitulo Vicarii jurisdictio limitari, censuit s. C. C. *die 1. Dec. 1736.* jurisdictionem non posse a Capitulo limitari. Et merito. Nam Capitulum non ex voluntate et arbitrio suo Vicarium constituit; sed ex dispositione juris tenetur Vicarium deputare, cui suam, adeoque integram jurisdictionem committere debet. Ob eandem rationem semel constitutum Vicarium non potest Capitulum revocare, sed debet exspectare quoadusque novus Episcopus fuerit canonice assumptus ad gubernium Diocesanos. Cfr. *Fagnanus Com. in cap. His quæ XI. de Major. et Obed. n. 71.* Qua de re etiam loquitur Bened. XIV. De Syn. Dioc. L. 2. c. 9. n. 4. Porro quæstio utraque juridice per modum legis resoluta est in *Const. 'Romanus Pontifex'* Pii IX. data V. kal. Sept. an. 1873. In ea enim hæc leguntur: 'Motu proprio . . . declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi jurisdictionem, quæ vacua Sede episcopali in



Capitulum venerat, ad Vicarium ab eo rite constitutum omnino transire, nec ullam hujus jurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere, multoque minus remove, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas de collato sibi episcopatu Capitulo juxta Bonifacii VIII. prædecessoris nostri Const. (*Injunctæ* de Elect. inter extrav. com.) vel deficiente Capitulo, ei exhibuerit, qui ad normam SS. Canonum vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem Diocesim administrat, vel ejusdem administratorem seu Vicarium deputat.

49. Quid vero si justa causa removendi Vicarium Capitularem verificetur? Respondemus, neque Capitulum neque Archiepiscopum, qui in nominatione Vicarii fortasse supplevit negligentiam Capituli, posse deputatum Vicarium ab officio remove. Etenim deputatio Vicarii Capitularis, uti innuimus, ex necessitate juris procedit, et electores deputationem perficiendo, functi sunt munere suo. Quare inde nec Capitulum nec Archiepiscopus electam personam possunt ab officio privare. Hoc enim officium ministerio juris communis in eadem persona residet. Igitur res ad S. Sedem deferenda est, nec remotio facienda est nisi ex causa cognita apud eandem S. Sedem. Ita *Fagnanus l. c.* et *Benedictus XIV. pariter l. c.* Ad rem vero faciunt resolutio *S. Congr. EE. et RR. in Matheranen.* 16. Julii 1601. et resolutio *s. Congr. C. in Civitatensi* 9. Junii 1725. Si vero Vicarius Capitularis vel demoriatur, vel renunciat officio suo, Capitulum potest et debet novum Vicarium deputare. Ratio est: quia, vacante officio, incipit reviviscere jus et onus Capituli Vicarii eligendi. At electio sub pœna nullitatis cadere non potest in personam electi vel nominati ad dignitatem episcopalem ejusdem Ecclesiæ vacantis. Ita in *Const. Pii IX. 'Rom. Pontifex'*, quam per summa capita supra retulimus in tit. De Elect.

50. Quæritur 2º. utrum Capitulum possit duos vel plures Vicarios constituere. Respondemus, antiquo jure Decretalium potuisse ex *cap. un. De Cler. ægrot. in 6º.* Verum interrogata S. C. C. utrum post Tridentinum liceret, teste *Fagnano l. c. n. 68.* respondit, non licere. Concilium enim cum agit de officiali ad sæcularia negotia expresse tradit assumi posse unam vel plures personas idoneas, cum vero sermonem habet de Vicario jurisdictionis spiritualis, vicarium nominat, nec illam distinctionem vel plures repetit. Ratio autem est: quia si duobus committatur aut pluribus

administratio Diocesæ, difficile habetur unitas regiminis. Verum ubi adsit immemorialis consuetudo plures Vicarios Capitulares deputandi, vel ut in solidum agant, vel alternis mensibus, consuetudinem hanc servari posse, respondit eadem *s. Cong. in Panormitana* 20. Jun. 1589. Idque vero præsertim admitti potest, ubi ex gubernii civilis legibus duo aut plures eligendi essent Vicarii Capitulares sub pœna privationis solitæ pensionis ad honestam vitæ sustentationem. Immo hodie in praxi receptum est, ut sustineatur consuetudo legitima, licet non sit immemorabilis deputandi plures Vicarios Capitulares. Nam S. Sedes solet remittere facultates vel particularia rescripta Vicariis Capitularibus in illis Diocesibus in quibus usus seu consuetudo inducta fuit plures habendi Vicarios Capitulares, quin mentionem faciat de immemoriali consuetudine. Dixi tamen 'ut agant in solidum'. Nam non videtur admitti posse, ut agant collegialiter; secus enim eluderetur Conc. Tridentini intentio, et sequerentur eadem incommoda, ob quæ Concilium prohibuit, quominus jurisdictio episcopalis sede vacante a Capitulo, idest a pluribus collegialiter exerceretur. Cæterum nova consuetudo, ubi non adesset deputandi plures Vicarios Capitulares, admitti non posset, sæpe sæpius enim Romanæ Congregationes quærentibus reposuere, studeant sese conformare statutis Conc. Tridentini, ut unum eligant Vicarium Capitularem. Aliquando autem S. Sedes etiam ubi non adest consuetudo, inspectis locorum circumstantiis, permisit ut duo Vicarii Capitulares eligerentur, ut in *Vercellensi* 6. Nov. 1654. (*Bizzarri Collect. pag. 664.*)

51. 1º. — **De qualitatibus Vicarii Capitularis.** — Qualitates hujusmodi traduntur a Conc. Tridentino in *cit. c. 16. sess. 24. de Ref.* Ut nempe vel novus constituatur, vel existens confirmetur, qui tamen saltem 'sit doctor vel licentiatus in jure canonico, vel alias quantum fieri poterit idoneus'. Ex qua dispositione patet, doctorem vel licentiatum in jure canonico præferri doctori vel licentiatum sive in jure civili tantum, sive etiam in S. Theologia, quemadmodum sub die 28. Aug. 1621. resolvit *s. C. C.* refert *Garzias 'De Beneficiis' p. 5. c. 7. n. 9. et 10.* Quæri potest an eligi debeat ex gremio Capituli Vicarius sede vacante si aliquis doctor aut licentiatus reperiatur in Capitulo? Ex verbis Tridentini quæstio non plene solvitur. Nec pariter ad modum regulæ solutio erui potest ex *s. Congregatione Concilii.* Nam juxta varietatem casuum propositorum variæ datæ sunt responsiones ab eadem. Immo pro-



posito dubio in forma generali die 25. Jan. 1852. noluit S. Congr. quæstionem solvere, sed edidit rescriptum 'recurrant in singulis casibus'. Sed inspecta mente Patrum Tridentinorum, et s. Congregationis intentione, hoc principium teneri posse videtur, ut nempe cæteris paribus præferenda sit persona de gremio capituli extraneis personis, idest eligendus sit doctor vel licentiatus in jure canonico, si adsit in capitulo, dummodo cæteroquin sit idoneus. Hoc principium firmavit *S. C. C. in Neriton.* 24. Jul. 1643. et in *Melphien.* 9. Sept. 1594. Et hæc prælatio valet etiam in concursu cum Vicario præexistente demortui Episcopi, qui careat qualitatibus Tridentinis, idest laurea vel licentia in jure canonico, ceu a *S. C. C. in Campanien.* 4. Apr. 1637. resolutum fuisse refert *Pignatellius tom. 8. consult. 34. n. 17.* Qua in resolutione fuit abrogata deputatio Vicarii Generalis non doctoris eo quod in Capitulo plures aderant doctores. Quodsi vel in Capitulo gradibus academicis a Tridentino expressis præditi Canonici non existant; vel etiam si aliquis existat, sed idoneus non sit, idest par et capax non sit, cui gubernium Dioceseos committi possit; quia ex. gr. prudentia careat, aut morum honestate non fulgeat; tunc libertas capitulo conceditur, ut vel Vicarium præexistentem etiam non doctorem aut licentiatum confirmet, aut alium extraneum sive gradibus academicis doctoratus vel licentiatus insignitum, vel etiam non insignitum, dummodo tamen idoneum, eligat; quemadmodum adnotatur in causa *Recinet. Vicar. Capit.* 17. Sept. 1768. et in *Acernensi* diei 27. Febr. 1709. *S. C. C.* Præstat vero animadvertere gradum doctoratus vel licentiæ, de quo in præsentia quæstione agitur, concessum esse debere ab aliqua Universitate studiorum vel ab aliqua Academia, nec proinde valere gradum hujusmodi, si fuerit ex gratia tantummodo concessus causa honoris. Tridentinum enim, quando qualitatem doctoratus requirit, considerat hunc gradum tanquam signum et argumentum probatæ scientiæ, non vero tanquam meram qualitatem honoris: uti patet ex locis parallelis. Ad rem facit resolutio *s. C. in una Montis Regalis* diei 19. Januarii anni 1664.

Si quærat quænam ætas necessaria sit in Vicario Capitulari, respondemus, ob similitudinem et paritatem rationis requiri ætatem 25 annorum inceptorum, quæ pro Vicario generali necessaria est, uti vidimus. — Tandem animadverti debet, ad munus Vicarii Capitularis assumi non posse illum qui curam animarum actualem exercet. Ita S. Congregatio pluries respondit, ceu refert *Zam-*

*boni in Collectanea Decisionum s. Congregationis Conc. tom. 6. v. Vicarius.*

52. 2º. — **De forma electionis Vicarii Capitularis.** — Principii loco statuendum est, deputationem Vicarii Capitularis constituere actum corporis moralis, idest actum capitularem. Quapropter Capitulum convocandum est ut procedatur ad negotium electionis complendum. Capitulum vero non tenetur vocare absentes a civitate episcopali, nisi commode id fieri possit; absentes vero non possunt de regula generali suffragium dare per procuratorem, nisi legitimo impedimento detineantur, et adsit legitima consuetudo. Ita *S. C. C. in Hydruntina* die 11. April. 1699.

53. Quoad formam electionis sciendum est, ad plura repellenda incommoda consultius esse ut servetur forma scrutinii per secreta suffragia juxta *cap. 42. de Elect.* quemadmodum innuit *s. C. C. in Milevitana* an. 1698. Attamen hæc forma non adeo est necessaria, ut si ea præteratur electio corruat. Alias enim formas electionis legitime servatas admisit constanter *s. C. C.* præsertim in *Sulmonen.* 17. Jul. 1655. et in *Assisien.* 11. Maji 1669. Ratio juridica est: quia ecclesiastica lex de forma canonicæ electionis expressa in *c. 42. De Elect.* non est extendenda ad casum constitutionis Vicarii Capit. Non enim hæc constitutio Vicarii est proprie dicta electio, quia electio proprie talis eget confirmatione, quod non verificatur in ista Vicarii deputatione, sed est simplex deputatio. Unde Concilium non utitur verbo 'eligant', sed verbis 'constituant . . . deputent'. Et ad summum est talis electio, qualis haberi solet in Capitulo ad dignitates, canonicatus et officia conferenda. Ita *Leurenus in for. benef. de Const. et qual. Vicarii Capit.* tom. 4. quæst. 550. Concordant *Card. de Luca de Comm. et Dign.* Disc. 26. n. 4. et 5. ubi refert etiam resolutionem *s. C. C. in Matheraten.* 1692. et *Garcias de Benef.* p. 5. c. 7. n. 20. et 21. Quare uti notatur in causa *Gravinen.* 30. Junii 1852. *s. Congr. EE. et RR.* relata a *Card. Bizzarri in sua Collect. pag. 659.* 'in electione Vicarii Capitularis servandæ tantum sunt conditiones, quæ jure ordinario in expeditione negotiorum Capituli requiruntur, scilicet ut monet *Ferraris v. Capitulum art. 1. in fn.* not. addit. ex aliena manu n. 4. oportet '1º. ut Capitulum sit legitime congregatum, 2º. ut vocentur omnes qui vocem in Capitulo habent, vel de præsentia habere possunt, 3º. ut negotia capitulariter expediantur, 4º. ut major pars consensum suum interponat'.



Unde ut aliquis censeatur electus, requiruntur majoris partis Capituli suffragia, ita ut ex. gr. si major pars elegerit indignum, et minor consenserit in idoneam personam qualitatibus conciliaribus instructam, neutra electio sustineatur. Quemadmodum pluries s. Congr. declaravit. Ita in *Aliphana* 8. Jul. 1702. et in *Nazarena* 11. Sept. 1717. Immo nec ipsa suffragiorum paritas esset facile admittenda.

54. 3<sup>o</sup>. — **Quomodo supplenda sit negligentia Capituli in electione Vicarii Capitularis?** — Cum ex decreto Tridentini relato in c. 16. sess. 24. Metropolitanus aut vicinior, vel antiquior pro suis vicibus suppleant negligentiam Capituli, animadvertere opportunum est, non semper eodem modo hanc negligentiam esse supplendam. Nam in casu quo Capitulum elegerit non doctorem aut licentiatum, spreto Capitulari qui sit præditus qualitatibus conciliaribus, Metropolitanus aut alius qui supplet negligentiam Capituli, reprobans electionem factam constituere debet Capitulo octo dierum spatium ut procedat ad novam electionem juxta decretum Tridentinum faciendam, quemadmodum fuse demonstrat *Pignatellius cit. tom. 8. consult. 34. num. 8.* referens plures decisiones s. C. C. præsertim in *Mazarien.* 19. Dec. 1569. et in *Lancianen.* 18. Aug. 1668. Quare hoc in casu datur purgatio moræ. Cfr. *Card. de Luca Adnot. ad Conc. Trid. Discurs. 31. nn. 18. et 19.* Ubi optime animadvertit devolutionem speciem referre pœnæ et injuriæ, quæ infligenda non est Capitulo nisi in casu a jure expresso, vel nisi culpa verificetur quæ delicto æquiparari possit. Simplex vero factum Capituli eligentis idoneum non doctorem, relicto doctore aut licentiatu de gremio, non secumfert malam Capitularium intensionem Tridentinæ dispositioni adversam. Potuerat enim Capitulum negligere doctorem, aut licentiatum de gremio, eo quod minus idoneum putaverat.

Quod si vero Capitulum vel ob negligentiam, vel ob dissidia electionem non perfecit intra octo dies, aut elegerit scienter indignum, ad Metropolitanum aut viciniorem, vel antiquiorem Provinciæ Episcopum illico devolvitur jus deputandi Vicarium Capitularem absque ulla concessa purgatione moræ. Quemadmodum probat idem *Pignatellius cit. loco.* Aut enim incidimus in casum ab ipso Concilio Tridentino juridice et taxative contemplatum, aut in pœnam electionis indignæ personæ: Capitulum ex intensione juris communis in titulo *De Elect.* expressa privatur pro illa vice potestate electionis perficiendæ.

55. 4<sup>o</sup>. — **De auctoritate Vicarii Capitularis.** — Jurisdictio sede vacante habitualiter residet penes Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, in actu vero seu in ejus exercitio ex dispositione juris communis est penes Vicarium Capitularem, unde tanta est auctoritas Vicarii Capitularis, quantam ss. Canones sede vacante Capitulo tribuunt. In conceptu vero juris Vicarius Capitularis censetur Episcopo succedere tamquam totius Dioceseos ordinario pastori et judici. Ex quo sequitur non succedere in iis quæ Episcopo committuntur peragenda ceu delegato Sedis Apostolicæ sive ex delegatione speciali facta defuncto Episcopo vel ejus Vicario generali, sive ex delegatione expressa in jure; prout communiter docent Auctores cum *Fagnano com. ad cap. 'His quæ' 11. De Major. et Obed. n. 54. et 55.* Secus vero tenendum est si agatur de illis negotiis in quibus Episcopus procedere potest jure ordinario, sed ei conceditur ut possit agere simul jure delegato, idest *etiam* ceu Apostolicæ Sedis delegatus. Jurisdictio enim Episcopi in hoc casu transit in Vicarium Capitularem. Unde Fagnanus in cit. loco refert resolutionem s. C. C. quæ tenuit, facultatem transferendi beneficia simplicia ab Ecclesiis collapsis competentem Episcopo ex cap. 7. sess. 21. de Ref. transire in Vicarium Capitularem, eo quia decretum concilii non dicit simpliciter auctoritate Apostolica, sed addit particulam *etiam*, quæ implicat jurisdictionem ordinariam.

56. At quædam expresse excipiuntur a potestate Vicarii Capitularis. Et primo cum plurimum intersit Ecclesiæ optimos eligere ministros, qui perpetuis officiis præficiuntur, provisio beneficiorum liberæ collationis Vicariis Capit. non tribuitur. Porro jure antiquo Decretalium collatio hæc futuro Episcopo reservabatur, prout traditur in c. 1. de *Institutionib. in 6<sup>o</sup>. et c. 2. Ne Sede vacante.* Hæc autem collatio libera reservabatur futuro Episcopo etiam quia consideratur in jure ceu actus liberalitatis, non autem necessitatis. Actus vero liberalitatis, quique gratiosi dicuntur, proprii sunt Episcopi. At s. Pius V. in *Const. 'Sanctionis' 9. Martii 1568.* sibi reservavit beneficia liberæ collationis quæ vacarent tempore Sedis episcopalis vacuæ. Hæc vero reservatio considerata fuit tamquam personalis. Id enim ex verbis a s. Pio V. adhibitis commode eruebatur. Deinde autem Sixtus V. hanc eandem reservationem inter regulas Cancellariæ inseruit et præcise in *Reg. 2<sup>a</sup>.* Unde hodie beneficia hujusmodi de lege generali reservantur S. Sedi. Cfr. *Riganti ad Reg. 2. Cancellariæ § 2. n. 3. seqq.* — Porro quoad bene-